

verbis declaravit. Novi autem testamenti, Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolas tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Petri Apostoli due, Joannis Apostoli tres, Jude Apostoli una, & Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus.

C A P V T I I I

De Paschatis, & Baptismatis controversiis secundo & tertio sæculo obortis, deq; Apostolorum Canonibus 8, 46, & 47.

2. 1. De Paschatis festo ab antiquis temporibus disputatum esse fatetur Irenæus. Illud autem celebrandum Dominico die, ob Dominicam resurrectionem, Ignatius martyr fatetur, ac ne fideles judaizarent, ut inquit Auctor epistolæ ad Philipenses; qua ratione ducti, decima quarta luna Dominico die, post vernale æquinoctium fore celebrandum Apostoli statuerunt; quorum traditio in universam manavit Ecclesiam, Asiatica tantum excepta, quæ à Joanne Evangelista suum proprium ritum habuisse assererat. Anicetum Romanum Pontificem, ob reverentiam erga Polycarpum, ut docet Irenæus, Asiaticorum consuetudinem

Apo-